



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. S. Franciscum de Paula, in ædificando Cœnobio, quibus prodigijs  
adjuuerit Deus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

die, qui tamen iam vergebat in occasum, duobus ex locis, ab hominibus nostra inopia, atq; difficultatis ignavis, sponte pecunia missa est, qua ex illis tunc angustijs exire licuit. Profectus sum ego Octobr. mense proximo in Germaniam inferiorem, & mense Martio in sequentis anni 1556. cum sex mensium spatium ab Ignatio definitum, aut effluxisse iam, aut appetere videretur, Romam ad Martinum Olavium scripsi, me ut de rei exitu faceret certiozem. Ille verò rescripsit, pridie eius diei, quam à me literas accepisset, magnam pecunia summam, elemosyna nomine, Romam nostris allatam es alienum penè dissolutum, Polancum illa anxia rerum necessariorum cura liberatum, solutiore animo esse, res omnes fluere, & supra opinionem omnium, quàm unquam antea copiosius abundare. Itaq; verba Ignaty reipsa & felicissimo successu adeò esse comprobata, ut ipse maiora miracula non requireret ad habendam fidem Ignatio: sed cœleste tantum lumen, quo illustratus mentis oculis videret, quæ corporeis oculis cernebat. Hæc de S. Ignatio Ribadeneira, complurâque, eodem loco, commemorat illustrissima fiducię eius erga Deum exempla, quæ omnia repetere, prolixum esset. Est in manibus author. Ad alios, & alia propero prodigijs plena & documentis.

Fons quidam perennis miraculorum erat Franciscus de Paula, per quem, & in quo, cum monasteria ædificaret, diuinam suam protectionem illustrissimè Superi ostenderunt. Superant fidem humanam, inquit vitæ illius scriptor, quæ Angelorum haud dubiè ministerio in Paulani conuentus fabrica visa sunt miracula, nihil illis aut frequentius, aut incredibilius, nam onera grauia facili negotio, virtute diuina trahabantur & uehebantur frequentissime, & collis vicinus, qui Dormitorio extruendo officiebat, ad nutum sublatus est in alium locum; alius verò qui imminebat, factò crucis signo, medio in aère suspenditur, & verbo eius sistitur, fons solo erumpit ad operarum usum commodiorem. Calx non sine miraculo effossa terra producit. Fornacem frequentius succensam, in qua calx decoquebatur, illisus ingreditur, & egreditur, ut periculo quod ingruerat paupertati tanti viri, sese opponeret innocentia & sanctimonia. In huius porrò miraculi, quod vulgatissimum est, monumentum, eò loci visitur sacellam, illincq; tellus educitur, è qua vasa opere sigulino composita per vniuersum orbem deferuntur, ad febrium aliorumq; morborum presentissimam medelam. Nec vno, aut altero tantum exemplo compertum habemus ignis erga Francisci castimoniam obsequia. Nam titiones extinctos accendit,

XI.

Franciscus  
Victor. in vi  
ta & mirac  
S. Francisci.  
à Paula. c. 6.  
lib. 1.

cēdit, cibos sine igne excoxit, manus in ollas & lecytos olei feruentis illasus immisit, lapides calcineos candentes e fornace eduxit, lateres & saxa in ignem iniecta & calore rubentia, e faco in vas, in quo infirmus lauandus erat, balneumq, satis distans loco, instar rosarum, gestauit, nudis pedibus ignem periculosè spineta inuadentem compressit & extinxit, nudis etiam manibus, plantisq, succensus prunas protriuit, lampadesq, ac cereos sine lumine accendit. Calum e fornace candentem manibus illasus eduxit, & conrectauit. Accidit aliquando ut faber ferrarius B. Francisco quicquid ferri ad Conuentus fabricam desideraretur, polliceretur, dummodo carbonem subministraret. Conuentione istiusmodi habità, lignorum struem in fossa profunda occludit igne supposito. Cum autem ignis superpositum aggerem inuaderet, accurrat Franciscus, & pedibus nudis flammam erumpentes reiundit, donec vnus e Fratribus terram detulisset, qua hiatus oppleretur. Narrabo aliud factum. Quidam ex operarijs ficus furto sustulerat. Coniectabant pleriq, vnumquempiam ex omnibus. Negabat ille acriter. At Franciscus tot repetitis mendacijs offensus, imperat ollam feruentem adferri, in quam nudus brachium primum immisit, deinde Latomo, quem coniectabat furem, dixit, fili si furti non es reus, polliceor, te diuina ope manum tuam ex aqua, quemadmodum ego ipse, educturum in tua innocentia experimentum. Verum ille male facti conscientia tactus, non est ausus eiusmodi periculum facere, maluitq, furtiuum obsonium profiteri.

XII.  
Idē author  
Lib. 2. c. 1.  
Eod. lib. c. 4.

Maiora adhuc recensentur infra, quæ Paterni, in ciuitate Calabriae, gesta sunt, dum altera fabrica, construeretur. E quibus sufficit ea, quæ huc spectant, apponere. Quid memorem? inquit author, quoties suos operarios dapibus celestibus, & non alia ratione, quam Angelorum ministerio comparatis, aut miraculo multiplicatis aluit? Sanè quidem processus ad canonizationem Neocastrensis meminit Angeli missi à Christo IESV ad S. Franciscum, ut deferret frustum panis, & vini amphoram, quibus reficerentur conducti ad ligna in quodam monte comparanda, operarij. Verum quod in eo miraculo omnibus omnium oculis, & sensibus subiectum est, inuisibili angelorum ope perpetratum credimus, in ijs quæ subijciuntur exemplis. Nam primo omnium, ter mille viros, aut mulieres, qui Paternum visendi Thaumaturgi gratia confluxerant, vnico panis cophino, atq, vini amphora ad satietatem refecit: cum tamen postea idem cophinus, eademq, amphora intacta remanerent. Altera autem die, cum quendam ex fabris ostendisset proferens ficum vnã (quanquam alij restim ficuum dixerunt) insit.